

Tractatus causam Mgri Joannis Hus e parte catholica illustrantes.

E codicibus manu scriptis eruit atque
introductione notisque criticis instruxit

Dr. Joannes Sedlák
professor theologiae.

Fasc. I.

Jacobi de Noviano, Mgri Parisiensis,
Disputatio cum Hussitis.

Jacobi de Noviano, Mgri Parisiensis, Disputatio cum Hussitis.

E codicibus manu scriptis eruit atque introductione notisque
criticis instruxit

Dr. Joannes Sedlák
professor theologiae.



BRUNÆ 1914.

Typis et sumptibus Pontificiae typographiae Benedictinorum Rajhradensium.

Wiclefii doctrina iam a. 1403 Pragae condemnata est. Articulis 24, qui Londonii proscripti erant, magister Joannes Hübner 21 novos addidit, eosque universitas Pragensis quibusdam magistris bohemis reluctantibus reiecit. In quantum vero Wiclefii doctrina iam tunc in Bohemia sit divulgata et tenta, certo determinari nequit. Id solum constat, Wiclefii sententiam de remanencia substantiae panis in sacramento altaris post consecrationem prius iam discussam et a pluribus receptam esse. Stanislaus de Znojma, magister Pragensis celeberrimus, opusculum exaravit, quo sententia illa approbatur et commendatur, sed Joanne de Štěkno et Andrea de Brod eum impugnantibus a. 1405 revocare et scriptum suum alio tractatu orthodoxo complere ab archiepiscopo coactus est.¹⁾ Sed tum errorem istum in Bohemia ulterius viguisse tum alias Wiclefii doctrinas ibi divulgatas esse inde patet, quod prior doctrina in synodis Pragensibus iterum iterumque prohibetur et publica fama Bohemos wiclefismi arguit; ast cum desint fontes, quomodo doctrina dogmatica in Bohemia usque ad a. 1408 sit evoluta, vix umquam dicere poterimus. E dicto anno 1408 vero documentum exstat, quod dogmaticam rerum faciem, qualis illo anno fuerit, optime illustrat quodque hucusque in manuscriptis latens inde eruimus et prima vice in lucem edimus.

De tractatus auctore.

Libri manuscripti auctorem dicunt Jacobum de Noviano, quem etiam Parisiensem appellant. Biographiam huius magistri

¹⁾ De hoc Stanislai scripto, quod hucusque ignotum iuxta notas in cod. pal. vindob. 4483 occurrentes inveni, cf. dissertationem meam »Eucharistické traktáty Stanislava ze Znojma«, Brunae 1906, ubi etiam dictum opusculum Stanislai, Štěknae tractatus et notae historicae codicis vind. 4483 publicatae sunt.

Parisiensis brevem habet Bulaeus in Historia universitatis Parisiensis 1670, V. p. 874—886, et Boulliot in opere Biographie ardennaise 1830, II. 286—289.¹⁾ Quaedam hic posita corrigi et multa suppleri possunt e Chartulario universitatis Parisiensis, quod edidit Denifle, et praesertim e dissertatione, quam de relatione Nicolai de Clemangis ad Jacobum de Noviano in folio periodico Revue historique ardennaise VII (1900) p. 277—315 scripsit I. Boulanger.²⁾

Locus nativitatis Jacobi fuit Novion sur Meuse in dioecesi Rhemensi, non autem Novion—Porcien, ut putat Boulliot, nec Noyan, prout Bulaeus habet.³⁾ Natus est Jacobus a. 1375,⁴⁾ studia autem philosophica absolvis Parisiis in collegio Navarrensi. Magister ipsius Nicolaus de Clemangi tanto eum amplexus est amore, ut qua intimum amicum eum tractaret⁵⁾ eique etiam serius frequenter scriberet.⁶⁾ Anno 1394 Jacobus magister artium factus est,⁷⁾ a. 1403 ut baccalaureus in theologia inducitur, in qua a. 1409 etiam licentiam est adeptus. Sed iam anno sequenti 1410 obiit Bononiae.

Quantopere Jacobus de Noviano in studio Parisiensi eminuerit, e Bulaei testimonio elucet, qui de eo ait: Jacobus Novianus... litteris inter ceteros sui temporis eruditus, professor

¹⁾ Ex isto opere brevem relationem de Jacobo hausit P. Feret, La faculté de théologie de Paris IV (Paris 1897) p. 277 nota 1. Ex eodem fonte sunt erroneae assertiones Fereti de Jacobi loco nativitatis, de Clemangii epistolis et de Joanne de Noviano. — ²⁾ Dissertationi est titulus: La renaissance au XV. siècle — une correspondance entre Nicolas de Clemangis et Jacques de Novion. — ³⁾ Boulanger l. c. p. 281—288. Locum in dioecesi Rhemensi quaerendum esse, patet ex elegia Nicolai de Clemangis, quam in mortem Jacobi scripsit, in qua ait:

Heu tibi Remorum regio fecunda virorum
clarorum

et ex epitaphio Jacobi:

Conditur hic Jacobus, Noviani ruris alumpnus,

Gallus gente, ortu Remus, studio Pariseus.

Non esse locum illum identicum cum Novion—Porcien, Boulanger exinde deducit, quod in documentis antiquis Novion—Porcien Novionnum vel Novionnum scribatur (semper cum o), dum Novion sur Meuse solum in forma Novianum, Novianum, Nouviandum (cum a) occurrit. — ⁴⁾ Cf. Boulanger l. c. p. 291 s. — ⁵⁾ Boulanger ibid. p. 294: Jacques de Novion attirait très vive son attention et devint l'objet d'un dévouement et de soins tout particuliers. Clemangis ipse in elegia (ibid. p. 313, versus 57—60) scribit:

Qui tanto tecum fueram coniunctus amore,
nostris ut fieres sensibus alter ego,
quique tuae rursus menti tam carus habebat,
ut tuus in caput hoc non minor esset amor.

⁶⁾ J. Martinus Lydius in opere »Nicolai de Clemangis Catalaunensis Opera omnia« 4 epistolas Clemangii Jacobi missas esse ait (vid. 45. 57. 69. 70.). Sed etiam epistolae 33. 34. 35., quae secundum Lydium ad Joannem de Noviano directae sunt, missae sunt Jacobi. Joannes de Noviano enim nullus exstitit (Boulanger ibid. p. 290). Insuper epistolam 39. qua Jacobo directam Boulanger edit p. 305. s. — ⁷⁾ Denifle, Chartularium univ. paris. IV. (Paris 1897) p. 80 ad annum 1403 habet: Jacobo de Noviano, dyac., Remens. dioc., mag. in artibus et bac. in theol., regenti Parisius in fac. art. a novem annis citra et ultra.

clarissimus, in re philosophica acutissimus, iuris utriusque scientissimus, uno verbo vir omnibus numeris absolutus.¹⁾ Idem testatur Clemangii epitaphium (l. c. p. 283):

Conditur hic Jacobus, Noviani ruris alumpnus,
septenis florens artibus ingenuis,
philosophus summus, praelustris canonis almi
scrutator, miro praeditus ingenio,
Gallus gente, ortu Remus, studio Pariseus,
eloquio clarus, Bononis occubuit,

et praesertim Clemangii epistola ad Burreyum de Jacobi morte²⁾ atque eiusdem classica elegia in mortem amici, in qua sequentibus eum laudibus effert:

Te loquer, o Jacobe, fama celebrate suprema,
ediderat mundo quem Novianus ager.
Quis te laude prior, meritis praestantior, alta
celsior in specula numinis ac superum?
Ingenii lumen quis laudibus efferat aptis?
Candidius nullum circulus orbis habet (v. 7—10. 13. 14.).

Et regionem Remensem alloquitur:

Heu tibi Remorum regio fecunda virorum
clarorum et magni dotibus ingenii,
rara virum ventura dabunt ei secula talem,
qualem fata modo surripuere tibi (v. 41—44).

Quamvis laudes istas paternus amicus solvat amico suo defuncto, tamen Jacobum de Noviano aliis viris sui temporis praecelluisse certe ex iisdem concludi potest.

Quod etiam opera eius probant luculenter. Tempore infausti schismatis occidentalis, quo e Gallia nova novaque prodeunt consilia ecclesiae uniendae, Jacobo de Noviano frequenter committitur munus cum pontificibus et regibus agendi. Iam a. 1394 conspicitur in legatione in Angliam et Italiam missa, qua socius Joannis de Monstrelorio (Montreuil), a. 1400 in Germaniam proficiscitur, a. 1404 fuit cum dicto Joanne et duce de Berry Avinione et Romae,³⁾ a. 1407 interfuit secretarius regis grandi legationi gallicae in Italiam missae, et anno sequenti, prout postea probabitur, erat qua legatus regis in Bohemia.

¹⁾ Catalogus illustrium academicorum. Hist. univ. Paris. IV. ad finem. — ²⁾ Ad Jacobum de Burreyo super morte Jacobi de Noviano, viri egregii et doctissimi, lamentatio, publ. Boulanger l. c. p. 309—311. Ubi Nicolaus de Clemangis inter alia: Graviter, inquit, tamen fert animus, tantum lumen nostris tenebris nostrisque caliginosis temporibus ereptum, qui velut lucerna ardens et lucens... poterat amplissime ac saluberrime in domo domini radiare noctisque umbram et errorum nebulas a cecis hominum mentibus doctrine suae fecundissime clarissimo fulgore discutere. — ³⁾ Boulanger, l. c. p. 314.

Perpetua illa itinera, in causis politicis facta, operi literario minime fuisse, per se patet. Boulanger, qui Nicolaum de Clemangis eiusque discipulos, imprimis autem Jacobum de Noviano, ut primos humanismi in Gallia asseclas considerat, persuasum quidem habet, Jacobum plura etiam scripto tradidisse, ast opus eius nullum novit.¹⁾ Joannes de Monstrelorio in litteris „ad amicum“ sermonem commemorat Jacobi „ad bene beateque vivendum“ laudatque eius „concionis profunditatem, inventionem, verborum elegantiam, sententiarum ubertatem, suavitatem sermonis, copiam materie“ e. s. p.,²⁾ attamen sermo iste ad nos non pervenit. Unicum opus Jacobi hucusque notum est relatio de legatione gallica in Provinciam et Italiam a. 1407 missa, quam relationem a Jacobo scriptam esse Valois probavit.³⁾ Hic vero aliud scriptum Jacobi proponimus.

De occasione et tempore scripti.

Quo anno Jacobus de Noviano tractatum praesentem scripserit, in tractatu ipso tam perspicue edicitur, ut nullum supersit dubium. Ait enim Jacobus, adversarios sibi obiecisse: „presens ecclesia sacerdotum est ecclesia sathane et fuit a 408 annis, quibus solutus fuit sathanas, qui per primum millenarium a tempore Christi erat ligatus“. Ergo disputationem a. 1408 habitam et tractatum eodem anno scriptum esse manifestum est.

Qua occasione vero tractatus ortus sit, e codicibus manuscriptis comperimus. In cod. univ. Prag. XIII E 2 fol. 264a inscribitur huic tractatui: „Questio respondens ad argumenta magistrorum Pragensium“ — ergo contra magistris Pragenses scriptus est. In cod. eiusdem bibliothecae IV H 2 fol. 110a scriptor meliorem informationem ponit dicendo: „Mag. Jacobus Parisiensis, postquam venit Pragam ambasiator regis Francie, invitatus est per Hus et alios Wiclefistas, cui subscriptam questionem proposuerunt.“ In eundem sensum, quamvis minus accurate, informant lectorem librarii codicum archivii march. Moraviae Cer. II 133 fol. 43a et Cer. II 303 fol. 736a nec non codicis bibl. capit. metrop. Pragensis D 131/1 fol. 81b, qui dicunt: „In hac questione respondet Jacobus de Noviano ad argumenta quedam, facta contra se per aliquot magistris Pragenses in conviviis“.

Ex quibus simul sumptis sequitur Jacobum de Noviano disputationem illam habuisse cum magistris Pragae, cum ibidem qua ambasiator regis Franciae degeret.

¹⁾ l. c. p. 303 s. — ²⁾ Totam epistolam istam vide apud Boulanger l. c. p. 302. — ³⁾ Noël Valois: La France et le grand schisme d'Occident III (Paris 1901) p. 700. Ibi vide argumenta. Exstat huius relationis unicum apographum valde imperfectum in MS. latino num. 12.544 Nat. bibl. paris. fol. 39b—45b.

In Gallia enim die 25. Mai 1408 prodiit edictum regium, quo utrique pontifici oboedientia subtrahitur.¹⁾ Postea Carolus rex legatos ad omnes aulas direxit, qui eis persuaderent, ut pariter ab oboedientia deficerent.²⁾ Etiam in Bohemiam venit talis ambasia; nam secundum monachum a S. Dionysio redierunt legati post tres menses cum laeto nuntio Germanos, Bohemos, Hungaros neutralitatem accepisse cum Gallicis.³⁾ Quando in Bohemiam legati advenerint, inde concludere licet, quod Wenceslaus rex 19. Julii 1408 cum cardinalibus tractare coepit, procul dubio a legatis permotus. Igitur mense Junio vel initio Julii ambasia illa Pragae aderat.⁴⁾ Quisnam in ambasia fuisset, e fontibus notis non elucebat. Tractatus noster nos docet, legatum Caroli VI., regis Galliae, in Bohemia tunc fuisse secretarium ipsius Jacobum de Noviano.

E more academico magistri Pragenses magistrum celeberrimi studii Parisiensis ad convivium invitaverunt, in quo mox disputatio „ex tempore“ exorta est.⁵⁾ Opponentes erant „aliquot magistri Pragenses“, prout codices Brunenses dicunt, vel, prout Prag. IV H 2 melius informat, Hus et alii Wiclefistae; munus defendentis Jacobus de Noviano habuit. Obiectum disputationis erat quaestio „Utrum viris ecclesiasticis seu clericis liceat aliquid possidere. Magistri Pragenses, Jacobo opposcentes, alias quoque quaestiones tetigerunt, et sic Jacobo occasionem dederunt de iis etiam sententiam proferendi. Disputatio ista Mgro Jacobo tanti momenti esse videbatur, ut de ea, procul dubio cum adhuc Pragae degeret, praesentem tractatum scripserit, quo memoriam illius retineret et argumenta sua completeret.

Operis argumentum.

Jacobus de Noviano tractatum suum in tres partes dividit: in parte prima ponit rationes, quas adversarii contra cleri possessiones

¹⁾ Cf. Valois op. c. III. p. 614. — ²⁾ Fleury, Historia ecclesiastica lib. CI. c. 105. — ³⁾ Lib. XXVIII. 4: »qui post mensem tertium redeuntes retulerunt Alemanos, Hungaros et Bohemos neutralitatem accepisse cum Gallicis, donec unicus summus pastor electus rite et canonice fuisset«. Cf. Bulaeus, Hist. univ. paris. 1670, V. 174. —

⁴⁾ Scriptores historici Palaeký, Tomek, Höfler, Valois ambasiam hanc non commemorant. Provocando ad monachum a S. Dionysio loquitur de eadem Polák in dissertatione »Církevní politika krále Václava« (Qualis fuerit politica Wenceslai regis in rebus ecclesiasticis) in folio periodico Časopis Matice Moravské Brunae 1904, p. 173, et iuxta eundem fontem breviter eam tangit Dr. Emil Goeller in opere »König Sigismunds Kirchenpolitik«, Freib. 1902, ubi legatos in Hungariam sub fine Junii venisse dicit (p. 32). — ⁵⁾ Simile convivium a. 1411 paratum est Pragae in honorem Mgri Joannis Stokes aliorumque magistrorum Anglicorum. In hoc quoque convivio disputatio de quaestionibus tunc temporis currentibus locum habuit, in qua Stokes asseruit quemlibet, quantumvis firmum in fide, si Wiclefii scripta legeret in eis studeret, mox fore haereticum. Quam thesim Hus deinde peculiari tractatu impugnavit. Cf. Opp. I. 108—110. Inde fors ortum habet error, per quem in cod. palat. Vindob. 4933 noster tractatus Joanni Stokes adscribitur. Eundem Stokes auctorem esse probabiliter

protulerunt; in secunda probat proprietates habere clero licitum esse; in tertia tandem rationes adversariorum refellit.¹⁾

Adversarii possessiones cleri impugnabant locis s. scripture Vet. et N. Testamenti necnon ex ratione.

Jacobus contra affirmat imprimis possessiones per se perfectioni morali non obstare; nam et patriarchae Vet. Legis illas habuerunt et tamen perfecti dicuntur. Abusus vero tam in paupertate quam in divitiis possibilis est, quem Jacobus minime defendere intendit, cum clerus, qui bonorum ecclesiae tantummodo administrator est, eisdem iuxta canones recte uti teneatur: ad pauperes sublevandos, ecclesias exornandas etc., et si opus fuerit, etiam plene ea abdicare paratus esse debeat.

Licitas autem esse possessiones cleri probat Jacobus 1. e scriptura s. Nam levitae et sacerdotes V. T. praeter decimas possessiones alias tenuerunt, similiter N. T. Joseph Barsabas aliique. Abrenunciare omnibus secundum verba Christi domini actus est maioris perfectionis, ad quam nemo obligatur. Probat 2. ex historia ecclesiae. Magni enim sancti (Silvester, Augustinus, Hilarius) possessiones habuerunt et ecclesia hoc approbavit eosdem ut sanctos colendo.

Nec valet, quod Wicelista hic obieiebant, sc. legem dei traditionibus humanis esse praeferendam. Non agitur enim de traditionibus humanis, sed de auctoritate ecclesiae, quae tanta est, ut lex ipsa in ea nitatur, cum quinam libri ad scripturam s. pertineant, non nisi auctoritate ecclesiae sciamus, quae a Spiritu s. regitur neque errare potest in rebus fidei.

Quae autem opposcentes contra auctoritatem ecclesiae inducebant, vid. ecclesiam non necessario in clero consistere et rectam fidem in simplicibus laicis servari posse; s. Augustinum concedere ecclesiam saepe errare quoad cultum sanctorum; imo totam ecclesiam erravisse, quando sedem pontificiam occupabat mulier, ista omnia aut falsa esse aut nihil probare ostendit Jacobus et concludit: Cum ergo ecclesia, cuius auctoritas tanta est, illos viros, quamvis possessiones tenuerint usque ad mortem, canonisaverit, igitur lege Christi non est prohibitum clericis, quominus possessiones habeant.

Eadem auctoritate ecclesiae fulciuntur etiam instituta ecclesiastica, ad quae impugnanda Wicelista in disputatione illa excurrerunt, praesertim indulgentiae et religiones.

Contra indulgentias obieiebant Hussii asseclae:

1. eas non posse probari e scriptura s.;
2. alterum pro altero poenas solvere non posse;

putavit corrector codicis 4941 eiusdem bibliothecae, qui in inscriptione tractatus (fol. 73a): „Tract. mgri Jacobi“ nomine Jacobi deleto superscripsit Johannis, cui errori rubricator mox novum addidit, scribendo ubique super textu: De possessione Johannis Hus. — ¹⁾ Tractatus igitur formam quaestionis thomisticae habet et sic utique disputationem non reproducit perfecte.

3. remissionem poenae non valere, nisi in quantum Christus eam approbet; Christum vero eam non approbare, nisi secundum poenitentis meritum — ergo idem esse, si dentur indulgentiae vel non;

4. indulgentias non prodesse, nisi sit recipiens in statu gratiae; cum igitur papa scire non possit, utrum recipiens sit in tali statu, stulte eum indulgentias concedere.

Contra religiones vero opponebant:

1. plures mere contemplativas esse et non laborare;
2. nulli homini ius esse alium ad aliquem modum vivendi obligandi, quem non instituerit Christus;
3. e diversitate vitae, victus et vestitus oriri scissiones in ecclesia et diminui caritatem;
4. multos ingredienti ordinem vitam sibi abbreviare et sic fieri suicidas;

5. istis tradicionibus humanis legem Christi derelinqui, quae est sanctissima et liberrima quamque omnes amplecti teneantur.

Quas Wicelistarum obiectiones Jacobus de Noviano breviter sed pulcherrime refellit et loca ab iisdem contra possessiones clericorum e sacra scriptura allegata sensu catholico explicat.

De operis valore.

Ex argumento operis valor eiusdem manifeste elucet. Jacobi de Noviano tractatus est prima apologia catholica contra sententias wicelisticas, initio saeculi XV. in Bohemiam illatas, qui sub respectu historico et theologico summi est momenti. Nam quales quaestiones mentes quorundam theologorum Pragensium, quorum capitaneus Mgr Johannes Hus habebatur, a. 1408 occupaverint, optime eodem illustratur. Maximum impedimentum ecclesiae uniendae et reformationis eiusdem assequendae est e mente ipsorum possessio rerum temporalium, quam propterea lege divina prohibitam et omnino dimittendam esse asserunt. Auctoritatem ecclesiae despiciunt, cultum sanctorum parvipendunt, praxim imo theoriam indulgentiarum et vitam religiosam impugnant. Hanc revera dogmaticam rerum faciem isto anno fuisse in Bohemia, duo alia documenta probant, quae eodem anno prodierunt et iisdem quaestionibus occupantur, nempe Stephani, prioris carthusiensis in Dolan prope Olomucium, opus dictum Medulla tritici vel Antiwicel, quod Pez in Thesuro anecdotorum IV/2 publici iuris fecit, et Epistola Johannis de Rakovník ad Hus, quam e cod. arch. march. Moraviae sign. Cer. II. 263 edidi.¹⁾

Res, quas partes collectantes in disputatione nostra tractant, prius iam in Bohemia notae et vulgatae erant. In sermonibus Waldhauseri et Milicii et praesertim in Mgr Mathiae de Janov. Regulis

¹⁾ List Jana z Rakovníka Husovi, Brunae Typogr. Bened. 1909.

similia passim inveniuntur. Ast quod quaestiones illae a magistris Pragensibus nunc moventur, non istis auctoribus domesticis, sed influxui magistri anglici Johannis Wiclef directe adscribendum est. Quod disputationis argumentum lucide evincit. Nam argumenta pro cleri paupertate e Wiclefii Dialogo, obiectiones contra indulgentias ex ultimo capite libri „de ecclesia“, rationes vero contra religiosos ex operibus polemicis „doctoris euangelici“ deprompta sunt. Cuius scripta tunc temporis iam mentes aliquorum magistrorum Pragensium adeo subiugaverunt, ut non solum eius sententiis et argumentis, sed etiam dictionibus uterentur.

Utrum tractatus aliqui e parte wiclefistica praecesserint, res illas evolventes, certe determinari nequit, ad nos tamen nulli pervenerunt. Unus quidem tractatus Mgr Jacobelli de Misa, de auferendis bonis temporalibus cleri agens, qui inc. „Magnae sanctitatis ille vir“, ¹⁾ in cod. univ. Prag. VIII F 2 anno 1407 ad populum communem Pragae praedicatus esse dicitur; sed cum ex anno 1407 descendere, cum quaestio de bonis ecclesiae per brachium saeculare auferendis in isto tractatu iam nimis provecta appareat, mihi persuadere non potui. Verumtamen etiamsi tractatus ille Jacobelli praecesserit, id certo constat, nostrum auctorem Parisiensem nullum opus scriptum prae oculis habuisse, sed solummodo ea, quae in conviviis oretenus prolata sunt, respexisse.

De codicibus et editione.

Quanti sit habitus tractatus Jacobi de Noviano, inde etiam videre licet, quod in codicibus manuscriptis frequentissime occurrit. Exstat in quatuor codicibus univ. Prag., vid. I G 11a fol. 91a—102b (anepigr.), IV G 13 fol. 195a—213b (anepigr.), IV H 2 fol. 110a—124a cum inscriptione supra notata et XIII E 5 cum inscr. Jacobi de Noviano ²⁾ Questio respondens ad argumenta magistrorum Pragensium, utrum clericis liceat aliquid possidere; in tribus codd. bibl. capit. metrop. Pragensis, sc.: D 131/1 fol. 81b—102a cum inscr.: In hac questione respondet Jacobus de Noviano ad argumenta quedam facta contra se per aliquos magistros Pragenses in conviviis, scribendo ea quae illis ore respondit, quantum memoriae potuerunt occurrere, N 12 fol. 95a—101b anepigr., sed cum subscr.: Haec est determinatio unius doctoris venerabilis Parisiensis habita Prage contra Wiclefistas et O 8 fol. 37a—48b anepigr.; in duobus codd. archivii march. Morav.

¹⁾ Exstat in codd. univ. Prag. V F 9 fol. 5b—13a (ab editore catalogi Wiclefio adscriptus), VI F 18 fol. 107b—116a (anepigr.), VII E 6 fol. 6a—11b (Mgri Jacobi de Misa Tractatus de auferendis temporalibus et emendando clero in Bohemia), VIII F 2 fol. 106a—111b cum subscriptione: Haec Mgr Jacobellus de Misa predicavit ad populum communem in ecclesia S. Michaelis Ant. civ. Prag. a. d. 1407. — ²⁾ Truhlár in catal. II. p. 238 legit »de Romano«, sed apponit notam interrogationis; in indice autem ponitur tractatus noster inter scripta carthusiani Jacobi de Paradiso (p. 448 et 466).

Brunae, vid. Cer. II 133 fol. 43a—57b et Cer. II 303 fol. 736a—753b in utroque cum eadem inser. ac in cod. cap. Prag. D 131/1; in quatuor codd. palat. Vindob., vid. 4131 fol. 60a—70b cum inser.: Materia questionis de paupertate cleri tractata in concilio Constantiensi, 4483 fol. 269a—282a cum inser.: De possessionibus questio Parisiensis, 4933 fol. 187a—205a cum inser.: Sequitur determinatio unius doctoris venerabilis Parisiensis habita Prage contra Wiclefistas ¹⁾ et 4941 73a—97b cum inser.: Tractatus Mgr Jacobi ²⁾ utrum viris ecclesiasticis seu clericis liceat aliquid possidere. Praeterea disputationem illam inveni in cod. bibl. Lipsiensis num. 661 fol. 160a—194a anepigr.; in cod. Treboniensi A 19 fol. 98b—107a, ubi ei Crux de Telcz false subscripsit: compilatus per Mgr. Jacobum Parisiensem doctorem a. d. 1431, et in cod. monasterii Ossecensis num. 2 fol. 193—206 cum inser. Scriptum Mgr Jacobi de Noviano Parisiensis, in quo disputat, utrum liceat viris ecclesiasticis aliquid possidere, quod scriptor affirmat et probat licere contra Wicleffum. ³⁾ Ergo in 16 codicibus manuscriptis tractatum Jacobi occurrere constat, neque dubium est, quin alibi adhuc inveniatur. ⁴⁾

In editione hac procuranda omnes codices conferre superfluum duxi. Textum, quem hic publici iuris facio, e cod. arch. march. Mor. Cer. II. 133 hausi (A), quippe qui tum antiquitate praestet tum sedulo correctus appareat. Contuli autem cod. eiusdem arch. Cer. II. 303 (B), Vindobonensem palat. 4483 (C) et 4933 (D), Lipsiensem 661 (E), Prag. univ. IV H 2 (F) necnon Ossecensem (G). Qui textus in duas classes dispescunt, quarum unam codd. A B, alteram C E formant; D sequitur textum secundum satis mendose, F G a textu primo non multum recedunt. De cetero librarii codices, quos describebant, presso vestigio sequuntur, ut nonnisi paucae lectiones variantes occurrant.

¹⁾ In catalogo false attribuitur Johanni Stokes. — ²⁾ Librarius voce »Jacobus« deleta superscripsit »Johannis« — ³⁾ Cf. Balbin, Bohemia docta III 201. — ⁴⁾ In cod. jagiel. univ. Cracoviensis 2208 fol. 161a—174a in quaestione »Utrum dom. Jesus statuerit ecclesie clerum debere vivere in perfecta pauperie« auctor scripto Jacobi de Noviano copiose usus est et deinde fol. 174a—189b totum descripsit solo prologo omisso, quin alicubi Novianum nominasset.

In hac questione respondet Jacobus de Noviano ad argumenta quedam, facta contra se per aliquos magistros Pragenses in conviviiis, scribendo ea que illis ore respondit, quantum memorie potuerunt occurrere. *a)*

Inter alia disputata ex tempore hec questio versabatur: **Utrum viris ecclesiasticis seu clericis liceat aliquid possidere.** Una pars tenebat non esse licitum, seu disputationis gracia seu quod ita sentirent, alia defendebat esse licitum illud, quod a quingentis annis et amplius ecclesia habuit de more. Primo ponam allegaciones prime positionis, secundo allegaciones contrarias et tercio primas *b)* allegaciones dissolvam, quantum sine librorum studio cursim facere potero.

Adducebantur auctoritates tam Veteris quam Novi Testamenti, quibus contradici nephas esset. Prima habetur Deut. XVIII cap., ubi dicitur: *c)* *Non habebunt sacerdotes et levite et omnes, qui in eadem tribu sunt, partem et hereditatem cum reliquo populo Israel, quia sacrificia et oblaciones eius comedent et nichil aliud accipient de possessione fratrum suorum; dominus enim ipse est hereditas eorum, sicut locutus est illis.*¹⁾ Secunda habetur in eandem sententiam Num. XVIII ubi dicitur: *2)* *Dixit dominus ad Aaron: In terra eorum nichil possidebitis nec habebitis partem inter eos, ego pars et hereditas tua in medio filiorum Israel. Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio, quo serviunt michi.*^{d)}

¹⁾ v. 1. s. — ²⁾ v. 20 s., 23. s.

a) Ita A B; C habet inscriptionem: De possessionibus questio Parisiensis. D: Sequitur determinacio unius doctoris venerabilis Parisiensis habita Prage contra Wicelistas. F: Mgr Jacobus Parisiensis, postquam venit Pragam ambasiator regis Francie, invitatus est per Hus et alios Wicelistas, cui subscriptam questionem proposuerunt. — *b)* A B et primo. — *c)* E sic dicitur. — *d)* C E explicant: i. e. labore servicio dei annexo!

Sequitur: *Legittimum sempiternum erit in generacionibus vestris, nichil aliud possidebunt decimarum oblacione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi.* Et eadem sententia sepe numero ^{a)} a Moyse replicatur. Cum ergo sacerdotes Nove Legis succedant Aaron et levitis, videtur, quod obligati sint per hec precepta nichil possidere, maxime cum virtute huius precepti exigunt ^{b)} decimas; observando partem affirmativam debent etiam nichil possidere et observare particulam negativam. Ymmo cum sint spiritualiores levitis et magis a terrenis / elongati, videntur ampliori obligatione ad renunciantum possessionibus omnibus astringi.

43b Ex Novo etiam Testamento auctoritates allegabuntur. Primo illud Mat. X, quod dixit Christus ad suos discipulos, quorum sunt successores illi, qui sacerdocio funguntur: ¹⁾ *Nolite, inquit, possidere aurum neque argentum neque pecuniam etc.* Cuius precepti Petrus non immemor tanquam discipulus inflammatus amore magistri Act. III ait: ²⁾ *Aurum et argentum non est michi etc.* Non tantum dicebantur hec ^{c)} discipulis, qui tunc erant, sed cunctis sacerdotibus futuris: igitur ^{d)} non est licitum, ut sacerdotes aliquid possideant. — Item Mat. XIX dixit Christus ad adolescentem: ³⁾ *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, que habes, et da pauperibus et habebis thesaurum in celo et veni et sequere me.* Ex hac auctoritate sic arguebatur: Clerici tenentur ad statum perfectionis, quia dum a laycatu ad sacerdocium ascendunt, perfectionem profitentur; sed ad statum perfectionis requiritur paupertas secundum actum et abrenunciatio terrenarum opum, ut patet ex dicto textu: igitur sacerdotes debent abdicare possessiones, sicut Petrus et alii apostoli a se abdicaverunt, sicut patet ibidem, ubi dixit Petrus pro se et pro aliis: ⁴⁾ *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? e)*

Ad idem potest adduci auctoritas b. Jeronimi ^{f)} in decreto, ⁵⁾ quod taliter dicuntur clerici, ^{g)} quia de sorte domini sunt vel quia dominus est sors eorum. Qui autem dominum possidet, nichil extra dominum possidere potest. Si autem aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem habebit, ^{h)} cum istis partibus non dignatur dominus fieri pars eius. Hic expresse videtur sentire contra possessiones clericorum. ⁱ⁾

Item sacerdotes debent esse nudi ^{j)} et expediti ad apprehendendum regnum celorum pro se et inducendum alios in illud. Sunt enim medii inter deum et populum, ut manifestum est et habetur ad Heb. V; sed possessiones eos pregravant et impediunt.

¹⁾ v. 9. — ²⁾ v. 6. — ³⁾ v. 21. — ⁴⁾ Mat. 19 27. — ⁵⁾ c. p. XII. 1.

^{a)} A B in Num. sepe. — ^{b)} C E exigant. — ^{c)} C hoc dicebatur. — ^{d)} C E hic et serius frequenter pro igitur ponunt ergo. — ^{e)} A B E nobis et aliis; D: quid ergo dabis nobis. — ^{f)} C in marg., E in textu addunt: ad Nepocianum et Augustinus in sermone ad clerum. — ^{g)} C D E dicentis, quod clerici (ideo D) dicuntur. — ^{h)} C E habet. — ⁱ⁾ D non esse licitum habere possessiones clericos. — ^{j)} E mundi.

Difficile enim dives intrabit in regnum celorum. Facilius est enim camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum / celorum. ¹⁾ Vnde dives divisus est, quia oportet eum de administracione possessionum curare, ideo non totum potest se deo dare. Ex simili radice profert apostolus virginitatem coniugio I. Cor. VII, quia *qui sine uxore est, sollicitus est, que domini sunt, cogitat, quomodo domino placeat, qui autem cum uxore est, divisus est.* ²⁾ Ex hac forte radice factum est, ut determinacione generalis concilii sacerdotibus apud latinos connubia interdicerentur. Vnde etiam quidam philosophi, ut liberius sapientie ^{a)} vacarent, a se divicias proiciebant et a coniugiis abstinebant.

Item dixit Christus in ewangelio: ³⁾ *Nisi quis renunciaverit omnibus, que possidet, non potest meus esse discipulus; specialiter autem sacerdotes dicuntur discipuli Christi: igitur nullus dignus est sacerdocio, b) nisi omnibus possessionibus abrenunciaverit.*

Hoc idem docuit nos Christus factus in seipso, quia nullas possessiones legitur habuisse, sed mulieres, que eum sequebantur, ei de suis facultatibus ministrabant. Et eum in hoc imitati sunt apostoli et septuaginta ^{c)} discipuli et alii in longum tempus. Igitur adhuc moderni sacerdotes ad hoc tenentur.

Nec valet, si dicatur, quod in hoc eos imitari est opus supererogacionis et consilii. Contra hoc arguunt adversarii, quia Christus nichil consulit clericis, ad quod non teneantur — ergo. Antecedens probatur, ^{d)} quia nichil consulit eis, quin esset bonum et laudabile et utile. ^{e)} Item si quis amicus alteri daret salubre consilium, quodsi ille non faceret, dator consilii se reputaret aliquid spretum — ergo obmittens implere consilia Christi aliquo modo contempnit Christum, qui sine peccato non potest contempni: igitur sacerdotes ad hanc paupertatem astringuntur.

Item quando Constantinus dedit possessiones ecclesie, legitur vox audita de celo dixisse: *Hodie venenum spargitur per ecclesiam.* Et hoc videmus per effectum, quia omnia scismata, omnis multiplicacio viciorum carnalium, omnes disensiones, omnia mala, quibus summe nunc affigitur ecclesia, ex occasione possessionum ^{f)} / sumpserunt originem. Vnde ante harum possessionum adeptionem longe pacacius et melius regebatur ecclesia quam hiis nostris temporibus, in quibus est in extremo malorum omnium, ut a planta pedis usque ad verticem vix sit in ea sanitas. ⁴⁾

Consimile ^{g)} arguunt contra dominium sacerdotum, pape sc. et episcoporum. Christus enim tale dominium nunquam exer-

¹⁾ Mat. 19, 23 s. — ²⁾ v. 32. s. — ³⁾ Luc. 14, 33. — ⁴⁾ Is. 1, 6.

^{a)} E sciencis. — ^{b)} C E est digne sacerdos. — ^{c)} D E LXXII. — ^{d)} A B: aliquis arguit. — ^{e)} A addit: Nota articulum pro consiliis implendis. — ^{f)} C E possessionis. — ^{g)} C E Consimiliter.

cuit. Vnde Job. VIII mulierem in adulterio deprehensam condempnare noluit: ¹⁾ *Mulier, inquit, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condempnavit? Nemo, domine. Neque ego te condempno.* Similiter penitenti ab eo Luc. XII ²⁾ *Magister, dic fratri meo, ut mecum dividat hereditatem,* dixit: *Homo, quis me constituit iudicem aut divisorem inter vos?*

Item omne temporale dominium interdixit et expresse ^{a)} prohibuit Mat. XX: ³⁾ *Scitis, quia principes gentium dominantur eorum et qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos maior fieri sit vester minister et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam in redemptionem pro multis.* Eadem sententia etiam scribitur Luc. XXII ⁴⁾ paucis verbis immutatis. Quid expressius dici potest de prohibitione temporalis domini?

Et ex hoc videtur, quod ecclesia presencium sacerdotum, recedencium ^{b)} a vita, ^{c)} exemplis, factis et dictis Christi, sit synagoga sathane, derelinquens mandata dei propter traditiones humanas, faventes voluptatibus et deliciis carnalibus, que in decretalibus et alibi scribuntur. Vnde exaltando ecclesiam temporaliter deprimunt eam spiritualiter. Vnde hodierno tempore lugendum est fitque contra illud apostolicum *Nolite extinguere spiritum* ⁵⁾ et rursus contra illud *Nemo militans deo implicat se negociis secularibus.* ⁶⁾ Quis est enim hodie ecclesiasticus, qui non ex toto currat ad terrenorum administrationem et spiritualia ^{d)} penitus nichil pendat!

45a Hee rationes nunc in memoriam venerunt, quarum aliquae michi obiecte sunt, alie scribendo / occurrerunt. Scio cogitanti aliquamdiu plurimas alias fuisse occursuras — ita fecunda est materia.

Nunc restat partem oppositam ^{e)} fulcire. Pro quo advertendum, quod possessionum quedam consistunt in rebus mobilibus, ut in auro, argento ac suppellectilis magna varietate, quedam vero in rebus immobilibus, ut in domibus, agris seu prediis etc. Et de utrisque probatur vel probare volo, quod licet clericis possidere.

Secundo advertendum, quod multum differt querere, utrum liceat ecclesiasticis habere possessiones et utrum hoc sit expediens. Manifestam enim ponit differentiam apostolus inter licitum et expediens dicens: ⁷⁾ *Omnia michi licent, sed non omnia expediunt.* Quidquid enim expedit, licet, sed non convertitur. ^{f)}

Tercio advertendum, quod diviciarum possessio non est de se mala neque prohibita simpliciter, quia sicut dicit Teren-

¹⁾ v. 10. s. — ²⁾ v. 13. s. — ³⁾ v. 25—28. — ⁴⁾ v. 25—27. — ⁵⁾ I. Thes. 5, 19. — ⁶⁾ II. Tim. 2, 4. — ⁷⁾ I. Cor. 6, 12.

a) C E manifeste. — b) C E recedens. — c) E veritate. — d) Codd, spiritualitatem. — e) A B optimam. — f) E e converso.

cuius de divitiis: *Hec proinde sunt, uti illius animus est, qui ea ^{a)} possidet. Qui uti scit recte, ei bona, ei vero, qui non utitur recte, mala.* Patet etiam per hoc, quod patriarche fuerunt divites: secundum enim Jozephum Abraham fuit rex et scriptura sacra non tantum ^{b)} de eo, sed et de suis filiis dicit, quod erant valde divites, et tamen patriarche fuerunt valde boni viri. Et potest hoc addi, quod divicie non repugnant perfectioni status. Patet: ad Abraham dixit deus Gen. 17: *Ambula coram me et esto perfectus* ¹⁾ et tamen nullibi ei precepit abicere divicias: igitur non repugnant perfectioni. Hoc idem patet per auctoritatem Augustini dicentis, quod celibatus Johannis non profertur coniugio Abrahe, et tamen constat celibatum Johannis pertinere ad perfectionem status: igitur etiam in coniugio Abraham potuit esse perfectus. Sicut autem ^{c)} contingit / interdum posses- 45b siores abuti possessionibus suis, sic contingit pauperes nichil habentes abuti paupertate. Vnde sicut dicit Oracius:

Magnum pauperies obprobrium,
iubet commodius facere et pati
virtutisque ^{d)} viam
deserit ardue.

Considerentur facta mendicancium et facta possidencium clericorum in confessionibus audiendis, in predicacionibus proferendis et aliis actibus exercendis: non inveniuntur seculares clerici plures abusus committere quam religiosi; nec adeo questui student, qui aliquid habent, sicut qui nichil possident. Ideo paupertas et divicie sunt de indifferentibus, quibus et bene et male contingit uti, et sicut divicie habent illecebras voluptatum, quibus animos a spiritualibus rebus abstrahunt, sic paupertas habet penalitates multorum defectuum, quos ut vitet, animos a recto sepe detorquet.

Quarto sciendum, ne quis forte male positionem hanc recipiat et per eam suorum sibi peccatorum impunitatem repromittat: nolo quoslibet ^{d)} defendere abusus prelatorum, opes possidencium in terrenis pompis, in vita nimium delicata, vestitus excessum, voluptatum complexum et cetera terrena vicia, relicta humilitate, quam summe Christus docuit. Nec debet certe mala vita prelatorum sufficere ad improbandum possessionem diviciarum. Considerandus est potius status in seipso. Absurdum est enim improbare artem aliquam propter abusores aut gladium prohibere, quod in manu furiosi sit perniciosus. ^{e)} Similiter absurdum est aliquem statum improbare propterea, quia eo mali abutantur. Sic enim reprobata ^{f)} esset et paupertas, que plures in nephas impulit et quam nonnulli vane glorie studio per ^{g)} ypocrisim complectuntur!

¹⁾ v. 1.

a) A B eas, C E ea qui. — b) B quidem. — c) A B etiam. — d) C E quomodolibet. — e) B viciosus. — f) C D improbata. — g) A B et.

46a Nec intendo / possessiones ecclesie ita pertinere ad clericos, sicut ad laycos sue possessiones hereditarie pertinent. Layci enim sunt suarum rerum domini et eas pro arbitrio alienant, ecclesiastici vero diviciarum ecclesie sunt administratores et dispensatores, sicut patet per illud apostoli I. Cor. 4: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores misteriorum dei.*¹⁾ Ideo in eorum dispensacione requiritur bona fides, sicut statim subiungit apostolus:²⁾ *Hic iam queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Hec autem bona fides in hoc attenditur, quod ipsi pro se suscipiant necessaria pro victu et vestitu, decenter et ad normam recte rationis, residuum autem in pios usus dispensent, puta aut pauperum egestatem relevando aut ruinas ecclesiarum reparando aut pro aliqua imminente necessitate ecclesie reservando. Si aliter fecerint, deum, pauperes et ecclesiam fraudant,^{a)} graviter peccant et ad restitutionem obligantur, si tamen notabiliter excedant. Nullus igitur clericus sibi blandiatur ob hoc, quod ei dicitur esse licitum possidere, cum^{b)} si recte rem intelligat, tantum aut plus in hoc oneris ei importetur quam carnalis consolacionis.

Verum est tamen, quod clerici interdum possident aliquas divicias ex hereditate paterna redituras etiam ad heredes post eorum mortem, de quibus ad presens non loquor, quia sic possident eas non ut clerici, sed ut^{c)} layci et laycorum filii. Quid autem sit dicendum de tali modo possidendi, apparebit ex dicendis, et maxime in casu, quo quis ex beneficio non^{d)} possit sibi parare^{e)} victum et vestitum.

46b Hiis stantibus / dico primo, quod prelati et sacerdotes secundum preparacionem animi pro salute commissi gregis debent omnes possessiones contempnere, exponere aut deserere. Patet per illud salvatoris Joh. 10:¹⁾ *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Si animam, quanto magis terrenam substanciam. Ex alio, quia et principes terreni ad hoc etiam tenentur, cum republica non ad eorum utilitatem, quibus est commissa, sed eorum, qui commissi sunt, regenda^{f)} sit, sicut ait Plato. Vnde legitur in historiis gentilium multos principes non modo divicias sed vitam propriam pro utilitate vel salute^{g)} subditorum contulisse.

Secundo dico respondendo ad quesitum, quod licitum est sacerdotibus habere possessiones.

Et proba^{h)} primo auctoritatibus. Certum est enim, quod possessio decimarum est eis debita, nec hoc negat nisi qui manifeste sacris adversatur litteris. Sed adhuc conclusionem extendo,ⁱ⁾ quod licet

¹⁾ v. 1. — ²⁾ v. 2. — ³⁾ v. 11.

a) B C D defraudant. — b) A B tamen. — c) C D E quasi ut. — d) C D E non sufficienter. — e) A preparare. — f) Codd. gerenda. — g) B C D utilitati vel salutis. A habet defective: vitam propriam subditorum contulisse. C sub textu ponit: est sententia Prospero 2^o lib. de consolacione c. XVI, eiusque verba allegat. — h) B ego proba, A et primo proba (et corr. in ego), E quod ego proba. — i) C E addo conclusionem extendendo.

sacerdotibus alias divicias a decimis possidere. Patet primo, quia levitis licebat ex decimarum vendicione pecunias accipere et partem pecunie sicut et alia bona hereditario iure ad filios proveniebant,^{a)} sicut satis innuitur Deut. 18, ubi sic dicitur:¹⁾ *Si exierit levites ex una urbium tuarum ex omni Israel, in qua habitat, et voluerit venire, desiderans locum quem elegerit dominus, ministrabit in nomine domini dei sui sicut omnes fratres eius levite, qui stabunt eo tempore coram domino; partem ciborum eandem accipiet, quam et ceteri, excepto eo, quod in urbe sua ex paterna ei successione debetur.* Item levite habebant domos proprias et non iure decimacionis, igitur aliqua alia possidebant a decimis. Item expressius habetur Lev. ult. cap., quod agri, quos filii Israel vovebant domino, cedebant in possessionem sacerdotum, et tamen non ratione decime / sed voti: igitur licebat eis habere possessiones alias a decimis. Dicitur enim sic ibi premisso casu, quo quis agrum suum voverit domino:²⁾ *Quodsi vovens noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venumdatus ultra eum qui voverat, redimere non poterit, quia cum iubilei venerit dies, sanctificatus erit domino et possessio consecrata et ad ius pertinet sacerdotum.* Et hoc idem habetur Num. 18, ubi dicitur sacerdoti in persona domini:³⁾ *Omne quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit et filiorum tuorum.* Et paulo ante:⁴⁾ *Omnis oblatio et sacrificium et quidquid pro peccato atque delicto redditur michi et cedit in sancta sanctorum, tuum erit et filiorum tuorum.* Cum igitur secundum devocionem populorum multe possessiones possent voveri aut offerri domino, sequitur, quod expresse ius eas possidendi a domino levitis confertur, et per consequens sicut levite possidere potuerunt, ita et sacerdotes Nove Legis. Tenentes enim contrarium in hoc se fundant vehementer, quod levitis erat interdicta omnium rerum possessio preterquam decimarum propter illud verbum scripture Num. 18 supra allegatum: *In terra eorum nichil possidebitis, decimarum oblatioe contenti.*

Ad idem potest induci auctoritas scripture Novi Testamenti Act. 4 in fine,⁵⁾ ubi sic dicitur: *Joseph autem, qui cognominatus est Barsabas ab apostolis, quod est interpretatum filius consolacionis, levites Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit eum et obtulit precium et posuit ante pedes apostolorum.* Ex hoc sic potest argui: Aut ille^{b)} Joseph iuste possedit illum / agrum aut iniuste. Si iuste, licitum erat levitis possidere, et habetur intentum. Si iniuste ergo non habuit ius vendendi, ergo apostoli non debuerunt precium agri recipere.

Item nonnulli fuerunt sacerdotes, qui non gravaverunt ecclesiam aliquid ab ea recipiendo, sed de propriis facultatibus viventes deo servierunt, et hoc factum approbat Jeronimus, cum illos sacerdotes arguit, qui cum proprias facultates sufficientes haberent, ecclesiam gravabant.

¹⁾ v. 6—8. — ²⁾ v. 20. s. — ³⁾ v. 14. — ⁴⁾ v. 9. — ⁵⁾ v. 36. s.

a) B veniebant, D pervenerunt, E provenerunt. — b) Reliqui codd. iste.

Item nullus tenetur ad opus supererogacionis, nisi speciali voto se obliget; sed abdicare a se possessiones est opus perfectionis, ut patet Mat. 19. Episcopi autem et sacerdotes extra vota religionum positi nusquam vovent abdicare a se cunctas possessiones et ad hoc non obligantur — igitur licitum est eis aliquas possessiones habere.

Item plures sunt sancti ab ecclesia approbati, qui habuerunt possessiones, ut Silvester, Gregorius, Athanasius, Ambrosius, Hilarius et alii multi. Stultum autem videtur dicere, quod illi sancti possessiones tenuissent, si eas sibi illicitas credidissent, et quod ecclesia illos pro sanctis recepisset, nisi eis licitas fuisse possessiones crederet. Esse enim errorem ^{a)} tantum in possessionibus sacerdotum, ut sacerdotes non possint eas habere sine peccato mortali, et quod ecclesia hoc in consuetudinem inveteratam ^{b)} venire permiserit, non videtur bene consentaneum rationi et scripture, et minus adhuc quod ipsa possessores pro sanctis coluerit, ^{c)} quos dampnatos esse verisimilius esset, ^{d)} cum in possessionibus sine penitencia pro illis facta mortui sunt.

48a Nec valet / illud, quod quidam ex adversariis respondit michi sic arguenti: Ecclesia per 700 fere annos has possessiones sustinuit et approbavit et possessores pro sanctis canonizavit, igitur licitum est clericis possidere. Respondit in hiis ecclesiam errare potuisse, maxime ecclesiam sathane, quia vera ecclesia ex fidelibus existentibus in caritate hoc non comprobavit. Et cum dicebam de Augustino, Silvestro etc., respondebat, quod nisi in morte de possessione penituerunt, dampnati sunt. Tunc sic replicui: Ecclesia scivit eos possidere et ignotum omnino fuit penituisse, ymmo non credit eos penituisse, ^{e)} quia tunc postea abstulisset a sacerdotibus possessiones tanquam Christi lege vetitas clericis: igitur magis debuit illos habere pro dampnatis quam salvatis vel saltem neutra mansisse, sicut doctores de Salomone dicunt, quod verisimilius est ex scripturis ipsum esse dampnatum quam salvatum, quia edificavit templa ydolorum, de quo non videtur penituisse, quia si penituisset, cum esset rex potentissimus, edificata a se templa destruxisset, quod non fecit, illa enim usque ad tempora Josie regis manserunt. In veritate isti videntur multum deprimere auctoritatem universalis ecclesie, quam adeo Augustinus exaltat, ut ei tanquam ewangelio fidem adhibeat.

Pro cuius auctoritate roboranda sic arguebam, eo quod isti ad legem Christi nos revocant ^{f)} et cuncta, que illic scripta

^{a)} In C corrector false mutavit: Est enim erroneum. — ^{b)} E veterem. — ^{c)} A coluit. — ^{d)} B cerneret, E haberet. — ^{e)} A ymmo — penituisse om. — ^{f)} B ad legem Christi provocant.

non sunt, veluti traditiones humanas spernunt: Multi alii a quatuor ewangelistis ^{a)} scripserunt ewangelia et tamen tantum scripta istorum quatuor sunt recepta. Quero ergo, qua auctoritate aliis relictis ista sunt recepta? Respondebatur, quod auctoritate Christi. Occurrebam, quod nullibi legitur expresse in sacra scriptura, quod Christus hec 4 ex omnibus elegerit, quibus solis tanta conferretur auctoritas. Et hoc concessum fuit, quod Christus solum implicite, ut dicebat respondens, hec 4 approbavit. Tunc sic intuli: ergo oportebat, quod istam implicitam Christi approbationem aliqua persona vel communitas expresserit, et que, nisi ecclesia? Cum ergo credamus hanc fidem Christi in hiis ewangeliiis verissime contineri ecclesie testimonio, quare incipiemus / nunc improbare quasi traditiones humanas omnia que non continentur expresse in canone biblie, maxime ea, que ecclesie a spiritu sancto directe comprobacione fulciuntur? Discedit etiam a scriptura sacra, qui auctoritati ecclesie detrahit. Nam testimonio sacre scripture ^{b)} ecclesiam universalem a spiritu sancto regi credere debemus nec posse errare in hiis presertim, que sunt fidei. Luc. enim 22. dixit Christus ad Petrum: ¹⁾ *Symon, ecce sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Si enim hic dicatur fides Petri fides ecclesie, expressum est testimonium, et si dicatur fides Petri in persona sua ^{c)} et suorum successorum, summorum pontificum, sicut videtur in aliquibus locis Jeronimus innuere swadens hiis, quibus epistulas dirigebat, ut aliis de fide sententias variantibus a Damaso, qui tunc in cathedra Petri sedebat, veritatem peterent et eius sentencie adhererent, quia vid. scriptum esse sciebat Deut. 17: ²⁾ *Si difficile et ambiguum iudicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, et iudicium intra portas tuas videris verba variare, ascende ad locum, quem elegerit dominus deus tuus veniensque ad sacerdotes levitici generis et ad iudicem, qui fuerit pro illo tempore, queresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicii veritatem, et facies quodcumque dixerint qui presunt loco, quem elegerit dominus, et docuerint te iuxta legem eius, sequeris sententiam eorum nec declinabis ad dextram vel ad sinistram.* Et sequitur magis ad propositum: *Qui autem superbierit et noluerit obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat ^{d)} deo tuo, ex decreto iudicis morte morietur homo**

¹⁾ v. 31 s. — ²⁾ v. 8—12.

^{a)} B quam quatuor ewangeliste. — ^{b)} C habet in marg.: Quomodo ecclesia non errat, E in textu: ecclesia non errat. — ^{c)} In AB deest. — ^{d)} AB ex eo tempore, quo ministrat.

49a *ille*. Si ergo capiatur fides Petri in se et pontificibus eius successoribus, adhuc est evidens testimonium, quia si talis ut caput ecclesie non potest errare in fide, longe minus universalis ecclesia, cuius ipse membrum est. Ecclesia igitur universalis nunquam errat in fide, nisi forte dicatur, quod Christus non fuit in hac oratione sua exauditus, / sed huic ^{a)} expresse contradicit apostolus ad Heb. 5, ubi dicit Christum exauditus esse pro sua reverentia. ¹⁾ Ecce quomodo stabilitur auctoritas ecclesie universalis ac romane, cui Petrus prefuit! Patet enim, quod ita regitur a spiritu sancto in fide, ut non possit in errorem pertrahi. Et certe credendum videtur, quod sicut spiritus sanctus ei specialiter ^{b)} assistit in hiis, que fidei sunt, ita etiam in agibilibus ad sanos mores pertinentibus, ita ut non permitteret in ea consuetudinem inveterari, que esset sacre Christi doctrine et sanis moribus adversa.

Nobis autem hic respondent: solidam ac firmam penitus esse auctoritatem ecclesie, verum hec ecclesia in prelatiis aut clero non necessario consistit, sed potest in simplicibus et laycis salvari, qui omnibus clericis a fide aberrantibus firmiter crederent. Sic enim creditur fidem tempore passionis Christi pro aliqua mora in sola Virgine gloriosa remansisse. Si autem hoc fieret, tunc toti clero erranti assentire non conveniret.

Sed secundum hoc subvertitur auctoritas conciliorum generalium, que Augustinus tamquam 4 ewangelia se colere testatur, nam ad illa simplices non conveniunt, et stat ^{c)} clerum totum esse infectum heresi et per consequens heresim determinare. Item iuxta hunc respondendi modum nunquam nobis constaret, quid esset credendum aut quid agendum auctoritate ecclesie, quia incertum esset nobis, que sit hec ecclesia, in qua fides precipue formata maneat. Si igitur illius solius determinationibus adherere necesse sit, nunquam auctoritate ^{d)} ecclesie aliquid credemus, et sic omnes determinationes ecclesie in dubium revocando tota christiana religio, tota fides Christi et tota lex perturbatur. Melius esset dicere, quod etiam si omnes prelati in concilio generali essent heretici, tamen spiritus sanctus in ecclesia gubernans taliter ^{e)} provideret, ut nunquam heresim determinarent, si eam determinare maxime intenderent, sed proprie estimacionis contrarium assererent. Et hec posicio ex sacris literis habere videtur fundamentum Num. 23 et 24 de Balaam, qui cum ad postulacionem Balach venisset, ut malediceret israelitico populo, deus eius maledicciones in benedicciones convertit. Non est ^{f)} sibi / minor cura de sua ecclesia,

¹⁾ v. 7.

a) A E hoc, D contra hoc dicit. — b) C E spiritualiter. — c) A nunc constat, B nunc et stat, D et constat. — d) C E auctoritati. — e) C E totaliter. — f) C E non antem est.

quam tunc fuit de synagoga, nec Michaeli etiam archangelo, qui tunc erat princeps synagoge et nunc ecclesie. Sic enim bene salvamus, ^{a)} quomodo ecclesia fundata est supra firmam petram, quomodo Christus per specialem direccionem nobiscum est usque ad consummacionem seculi et alia multa.

Desinant igitur nostris auribus insusurrare contra canonizaciones sanctorum illud Augustini: Multorum corpora venerantur in terris, quorum anime sepeliuntur ^{b)} in inferno. Quod dictum de sanctis ab universali ecclesia canonizatis Augustinum intellexisse non estimo, sed de hiis, qui probitatis opinionem apud suos habuerunt, unde ab aliquibus sine canonizacione veluti sancti coluntur.

Desinant rursus de muliere incubatrice papatus mencionem facere, cum nunquam illam generale concilium esse papam determinaverit nec universalis ecclesia aliter credit, nisi quia singuli fidem electoribus habentes non contradixerunt, sed eam ^{c)} papam esse crediderunt. Aliud est autem singulos aliquid separatim credere, aliud universos in generali concilio determinare. Item nec credebatur esse papa, nisi omnia ei inessent, que summo pontifici inesse deberent, eratque condicio implicita, qualis est in adoracione hostie consecrate. Non enim adoratur nisi sub hac condicione implicita, si rite fuerit consecrata secundum Altisiodorensem. Non enim possum scire de quolibet celebrante, an sit sacerdos, an verba rite protulerit, an debitam materiam habuerit, an intencione ^{d)} caruerit et similia. Item et hic error brevi detectus fuit. Item fuit error facti, ^{e)} sed secus est de canonizacione sanctorum per concilia generalia comprobata, non tantum a singulis credita, maxime cum miracula ^{f)} interposita fuerunt clara et evidenciam.

Sed ea a demonibus fieri posse dicunt. Sed numquid obsecro simili modo calumpniabuntur Christi miracula? Numquid infidelis sic diceret Christum non surrexisse, sed angelum sathane, quod horreo etiam dicere, ea que post resurrectionem fecisse legitur, in assumpto corpore fecisse?

Quodsi firma maneat auctoritas ecclesie non tantum in fide, sed sanis moribus, ex canonizacione sanctorum, qui possessiones usque ad mortem tenuerunt, ex ipsorum etiam possessionum / acceptione satis ^{g)} arguitur, quod non est clericis illicitum secundum legem Christi aliquas possessiones habere.

Arguuntur ^{g)} consequenter alia in ecclesia rata esse debere, que isti infirmare nituntur. Vnde indulgenciarum relaxationes celebres in ecclesia, quia non satis expresse suo iudicio in sacris litteris fundari possunt, non modo non honorant, sed interdum irrident, ^{h)} arguentes stultum esse credere, quod unus pro alio penam solvat; nichil esse ratum circa pene remissionem nisi ex acceptione

a) C E solveramus. — b) C D E sepulte sunt. — c) A B etiam. — d) C E intencione consecrandi. — e) In A B deest. — f) B mirabilia. — g) C E arguo. A false: arguunt aliam ecclesiam ratam de indulgenciis. — h) A B invident.



Christi, Christus autem non acceptat nisi secundum meritum penitentis, quo meretur solutionem: igitur in idem redit, sive detur indulgentia sive non. Item non valent indulgentie nisi existentibus in gracia seu in caritate, sed de nullo sciri potest, utrum sit in caritate, quamdiu est viator, igitur papa est dubius, si prosunt vel non: igitur stultum est credere indulgentias esse alicuius valoris.

Ad hoc ego respondi sicut occurrit, tales rationes non modo frivolas, sed stultas esse.

Primo fundari indulgentias in sacris litteris. Nam scribit apostolus II. Cor. 2¹): *Ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*, ubi loquitur de condonacione pene, et doctores hanc litteram 4^o Sent. loquendo de indulgentiis inducunt. Item ex quo consuetudo harum indulgentiarum per ecclesiam universalem comprobata est et tanta est eius auctoritas sicut diximus, credendum est, quod auctoritas indulgentias faciendi ^a) data sit prelati a Christo, cum dixit Petro: ²) *Quodcumque ligaveris etc. et quodcumque solveris etc.*

Cum dicunt, quod unus pro alio non potest penam solvere, hoc stultum est. Nonne Christus, qui peccatum non fecit, pro peccatis nostris penam solvit? Nonne peccata nostra ipse portavit? Nonne in baptismo adultus, qui non venit fictus, reportat gratiam et pene remissionem? Quis solvit pro eo nisi Christus? Nonne scribit apostolus ad Gal. VI: ³) *Alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi?* Nonne suffragia vivorum valent defunctis in purgatorio existentibus ad relaxationem pene, ⁱ) alioquin frustra fierent?

50b

Cum dicunt nichil esse ratum nisi ex acceptacione Christi, hoc concedo. Sed cum dicunt, quod Christus non acceptat nisi pro merito suscipientis, ^b) non est verum, ymmo pena aliqua remissa pro merito suscipientis ^c) ad hoc alia pars remittitur virtute indulgentie per hoc, quod factum prelati dantis indulgentias Christus acceptat, que non remitteretur, si faceret idem opus ex eadem caritate sine indulgentiis; sicut in absolucione sacramentali ^d) aliqua pars remittitur non merito suscipientis, ^e) sed virtute clavium, et in baptismo adulti non ficti tota pena remittitur non per sua merita, sed Christi.

Cum dicitur ^f) ulterius, quod non valent nisi existentibus in caritate, concessi eis. Dixi enim: Ad hoc, quod indulgentie valeant, precipue tantum quantum sonant, requiruntur 4 condiciones: prima, ut sit in conferente auctoritas; secunda, ut sit in suscipiente caritas; tertia, ut sit in fide pietas; quarta, ut sit in iniuncto opere utilitas. Et per hoc respondi ad illud, quod dicebant, has indulgentias versas in questum.

¹) v. 10. — ²) Mat. 16, 19. — ³) v. 2.

a) C E sciendi. — b) A corrigit: penitentis. — c) In A B deest: non est verum suscipientis. — d) A corr.: sacerdotali. — e) A corr.: penitentis. — f) C E dicunt.

Cum autem in principali articulo dicunt ulterius, quod nemo scit de aliquo viatore, an sit in carite, transeat ^a) hoc, saltem loquendo de sciencia certitudinis. Et cum ^b) inferebant: ergo prelati est dubius, an indulgentie sue valeant aut efficaciam habeant, transeat iterum, ^c) quod sit dubius, si habeant efficaciam in suscipiente propter ignoranciam dispositionis eius, non est tamen dubius, quin si sit dispositus et 4 condiciones diete concurrunt, valeant.

Et cum infertur: ergo stulte dat eas, dico quod consequencia est stulta. ^d) Sic enim argueretur, quod sacerdos non deberet penitentem absolvere, quia nescit, an coneratur, ^e) cum tamen sine eius contricione absolucio non sorciatur suum effectum; non deberet aliquis adultus baptizari, quia nescit sacerdos, an veniat ad baptismum fictus; nemo deberet missam celebrare, quia nescit, utrum sit in caritate. Hec materia longiorem tractatum exigeret, quam tempus presens peregrinantem et libris carentem scribere permittit.

Arguunt eciam isti nostri adversarii, ^f) qui nos ad legem Christi, ut eis videtur, revocant, contra religiosos ^g) et eorum diversitates. Tum ^h) quia in aliquibus pure speculativi sunt et / non laborant; modo dicit apostolus: *Qui non laborat, non manducet.* ¹) Tum quia non pertinet ad hominem religiones instituire aut alios ad certum vite modum, qui non in lege Christi continetur, ²) obligare. Tum quia ex diversitate vite, victus et vestitus sunt principia omnium divisionum ecclesie, tum quia pertinaciter unusquisque alias sectas ⁱ) improbat, suam confirmat, tum quia minuitur ecclesie caritas, que fundatur in unitate, et ecclesia distrahitur. Tum quia homines sepe propter rigorem observanciarum abbreviant vitam suam et fiunt homicide sui; non enim omnes eodem modo sunt dispositi et quod uni convenit, alteri disconvenit, ideo unicuique debet onus imponi secundum facultatem suam, in hiis autem religionibus contrarie dispositis idem onus imponitur. Tum quia per has tradiciones humanas lex Christi deseritur; unde si Christus rediret, impropere nobis illud, quod impropere scribis et phariseis: ²) *Vos dereliquistis mandata dei propter tradiciones vestras.* Melius ergo esset omnes redire ad legem Christi et secundum eam vivere, que est perfectissima et liberrima.

51a

Circa ^k) hanc materiam dico breviter, differenciam statuum pertinere in ecclesia ad complementum, decorem et perfeccionem corporis Christi mystici. Sicut enim perfecciones, que in deo unum sunt, inveniuntur sparse in rebus creatis,

¹) II. Thes. 3, 10. — ²) Mat. 15, 3.

a) In A corr.: taceat hic. — b) B tamen. — c) In A corrector delevit et in marg. corr.: dico quod quamvis sit. — d) C E non est bona. — e) C E convertatur. — f) C D E add.: Wyclefiste heretici de religiosis. — g) C E religiones. — h) A B et. — i) A C E contineatur. — j) In A scriptum est: sanctas, corr.: religiones. — k) B contra.

ita gracia in Christo capite unita invenitur in aliis dispersa. Vnde secundum quod ^{a)} dona spiritus sancti diversa ^{b)} sunt, secundum hoc sunt diversi status pro diversitate graciaram, quibus alii aliter Christum imitantur. Et hoc est, quod dicit apostolus ad Eph. IV: ¹⁾ *Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios ewangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummacionem sanctorum etc.*

Secundo tanta diversitas pertinet ad necessitatem ^{c)} actionum, que sunt in ecclesia, quia oportet ad diversas acciones diversos homines deputari. Et hoc est, quod dicit apostolus ad Rom. XII: ²⁾ *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo etc.*

Tercio pertinet ad plenitudinem dignitatum et decorem ecclesie, qui in quodam ordine consistit. Vnde III. Reg. 9. regina Saba laudat Salomonem ex pulcro ordine et mira dispositione familie. Sicut autem ad dignitatem regis terreni spectat habere familiam et servitores / pulchre ordinatos, ita est magnus decor ecclesie, ut ex varietate magna servitorum dei composite et venuste ordinetur. Non invidiant huic dignitati homines mente corrupti, ^{d)} qui religionibus detrahunt, nec facile existiment ecclesiam, cuius est auctoritas suprema, in approbacione harum religionum fuisse deceptam, sed etsi propria eorum existimacio capta vi argumenti has religionum varietates non caperet, tamen tante auctoritati credere oporteret.

Modo dico ad argumenta contraria breviter.

Ad primum de puris speculativis respondeo, quod, sicut recte ait Seneca, *qui nichil agere videntur, maiora agunt*. Speculativi illi sepe salvant rempublicam, sicut credere debemus ex illo, quod scribitur Gen. XVIII, quod propter decem iustos deus pepercisset quinque civitatibus. Item speculativi illi suis oracionibus ecclesiam militantem adjuvant, ideo non penitus sunt sine labore.

Ad secundum, cum dicitur non pertinere ad hominem religiones instituere, dico, quod multe sunt institute ductu ac instinctu spiritus sancti, quod patet ex approbacione ecclesie. Dico ultra, quod quilibet christianus ex precepto dileccionis dei et proximi salubriter studere potest ad inveniendas vias, per quas maxime proximo proderit. Et hac ratione moti sunt religionum conditores, ut instituerent salubres regulas, ^{e)} sub quibus viventes Christum imitando salventur, et ergo auctoritate divine legis potuerunt eiusmodi religiones exquirere.

¹⁾ v. 11. s. — ²⁾ v. 4. s.

^{a)} D sicut, B om. — ^{b)} C E divisa. — ^{c)} A auctoritatem. — ^{d)} C D E om. homines mente corrupti. — ^{e)} C D E religiones.

Verumptamen neminem obligant, ut se suis regulis subiciat sub pena dampnacionis. Concedo enim, quod nullus propria auctoritate potest condere leges, sub pena dampnacionis eterne alios obligantes, preter deum; nec hii conditores quemquam obligant ad suam regulam, sed intrantes religionem semetipsos per votum obligant.

Ad tertium, cum dicitur: diversitas religionum propter varietatem vite, victus et vestitus sunt principia ^{a)} divisionum et discordiarum seminaria et caritatem minuunt, dico hoc esse falsum per se loquendo. Verum est tamen, ^{b)} quod per accidens possunt esse malorum cause, sicut et bonum per accidens est causa mali. Immo dico, quod ista diversitas magis est per se causa augmenti caritatis in fidelibus. Caritas enim est ordinata, sicut scribitur in Canticis / in persona sponse ¹⁾: *Ordinavit, inquit, in me caritatem*. Non esset autem ordinata sine diversitate, quia ordo est parium dispariumque rerum dispositio. Et sic in hoc magis salvatur caritas quam tollatur. Quod augeatur eciam, probo, quia per hoc quod aliqui sunt eiusdem religionis, preter ^{c)} dileccionem mutam, qua se diligunt ut christianos, se adhuc diligunt eo quod sunt eiusdem professionis. *Similitudo enim est causa amoris*, ut dicitur VIII. Ethicorum, et in Eccli ²⁾ scribitur, quod *omne animal diligit sibi simile*. Sic igitur augetur caritas ex similitudine et non minuitur respectu aliorum, nisi per accidens per abusum religiosorum.

Vnde si ista diversitas recte improbaretur, eodem modo probaretur, quod non expediret esse gradus affinitatis et consanguinitatis in ecclesia, quia ratione eorum unus plus diligitur altero. Et ad hoc potest responderi eodem modo penitus sicut Aristoteles in 2^o Politicorum respondet argumento Socratis, quo nitebatur probare, quod esset expediens in republica uxores esse communes, quia ^{e)} per hoc esset firmior et maior amicitia in republica; nam quilibet iunior ex quo patrem ignoraret, quemlibet antiquiorem ut patrem diligeret, et ^{f)} senior, ex quo quis eius esset filius nesciret, quemlibet iuniorum ut filium amplecteretur et coetanei se tamquam fratres colerent: pulchre respondet Aristoteles ex communitate uxorum sequi potius contrarium sc. amicitie detrimentum. Nam cum nemo patrem cognosceret, neminem ut patrem coleret, cum filium a non filio discernere nesciret, nullum ut filium amaret neque coetaneum, quem esse fratrem dubitaret, veluti fratrem diligeret.

Cum autem dicunt, quod tollitur unitas ecclesie, dico quod quamquam aliqua unitas tollatur, optima tamen pulchri ordinis unitas conservatur. Tanta enim potest ^{g)} esse reipublice unitas, quod funditus subverteretur, puta si omnes essent viri aut omnes femine. Et hoc idem dicit Aristoteles contra Socratem 2^o Pol.

¹⁾ Cant. 2, 4. — ²⁾ Eccli 13, 19.

^{a)} D materia. — ^{b)} C E quidem, B om. — ^{c)} A B propter. — ^{d)} C E quodlibet. — ^{e)} A B et. — ^{f)} A C E: ex quo senior quis... — ^{g)} C E posset.

Ad quartum, cum arguitur de abbreviacione vite propter diversitatem complexionum illorum, qui sub regula ^{a)} degunt, dico primo, quod ex hoc male religio improbat, que neminem ad se venire compellit, et potest ^{b)} ante ingressum fieri iudicium, si ^{c)} intranti sit tolerabilis an intolerabilis. Dico / secundo: multum est incertum, utrum eius abbrevietur vita per religionem, quia nullius complexio ad punctum cognosci potest. Esto vero, quod sub hoc incerto abbrevietur, non valet hoc ad religionis improbacionem, quia talis vitam abbrevians ratione incertitudinis non potest dici homicida sui. Sicut per abstinenciam coniugii forte multis sacerdotibus vita abbreviatur et tamen per sacerdotii acceptionem nullus dicitur occisor sui. Similiter peregrinando viator casu incidit in latrones, a quibus necatur, et sic vitam abbreviat, non tamen dicitur occisor sui. Similiter ieiunando quadragesimam aut eam sine ieiunio observando multi celerius moriuntur et tamen non debet ex hoc concludi quadragesimam male fuisse institutam. Infinita exempla ad hoc possent induci, que brevitatis studio cogor pretermittere.

Ad quintum, cum dicitur, quod per has tradiciones humanas lex Christi deseritur, istud nego per se loquendo, ymmo maxime promovetur, cum ad nichil aliud sint institute, nisi ut religiosi Christi perfeccionem saltem a longe imitarentur in diversis gradibus secundum diversitatem religionum notatam ex diversitate vestium, quam isti multum impugnant quasi tradicionem humanam, cum tamen habeant exemplum in scriptura. Nam et Judei distinctis vestibus ab aliis gentibus utebantur, sicut dicunt expositores super illud Mat. IX: ¹⁾ Tetigit fimbriam etc. Item prophete Vet. Test., quibus succedunt monachi, non omnino cum cetero populo conveniebant in habitu. Item deus precipiebat multa exteriora fieri per prophetas ad significandum alia, ut patet in decursu Vet. Test. Item in Novo Test. Johannes Baptista induebatur pilis camelorum et habebat zonam pelliceam circa lumbos suos. (Mat. III.) ²⁾

Cum autem clerum ad Christi legem revocant, ego certe vellem et nichil magis cupio, quam quod relictis voluptatibus, terrenis pompis atque sollicitudinibus, relicta eciam avaricia Christi preceptis implendis clerus operam daret. Puto ^{d)} enim, quod propter peccata nostra magna in principatu tam spirituali quam terreno tantas afflictiones ecclesia patitur, et unioni ventura nichil magis contrarium puto esse quam peccata nostra, quibus deum / sponte pacem offerentem veluti ingrattissimi repellimus. Sed sicuti superius dixi, non ex ratione status hec tanta cleri vicia proveniunt et quamquam peccata eorum sunt

¹⁾ v. 20. — ²⁾ v. 4.

a)
homines

a) A sub illa reg. — b) C E potest enim. — c) Codd. om. — d) A B primo.

contra legem Christi, ipse tamen status nullibi in Christi lege prohibetur. Quare non oportet ab hoc statu, in quo lex Christi potest impleri, sed a peccatis Christi ^{a)} legi contrariis ad Christi legem clerum revocare.

In hac tamen revocatione caute incedere convenit. Aut enim revocamur ad legem Christi secundum intellectum revocancium expositum aut secundum quod per sanctos doctores est enucleata. Si primum, caveant, ne vehementer errent illud improbando per legem Christi velut ei repugnans, quod sancti doctores et tota ecclesia non sibi prohibitum crediderunt ex lege Christi. Augustinus nunquam possessiones tenuisset, si eas ex lege Christi cunctis episcopis existimasset interdictas. Nimia est eorum temeritas, si putent se veracius ^{b)} et melius legem Christi intelligere quam illos sanctos doctores et universalem ecclesiam. Quodsi ad Christi legem clerum revocant, ut est enucleata per sanctos, non improbent ex lege Christi cleri possessiones, quas Christi legem colendo doctores profundissimi atque simul sanctissimi tenent. ^{c)} Vnde eciam sub Sixto et Laurencio ecclesia thezauros habebat; item apostoli loculos habuerunt, sicut patet Joh. XII.

Ex hiis omnibus videtur satis apparere, quod non est illicitum penitus clericis aliquas possessiones habere. De expediendi vero nunc taceo, quia determinacio est magni laboris atque difficilis.

Ad rationes principales.

Ad primam, cum sic arguitur per auctoritatem scripture Deut. XVIII. *Non habebunt etc.*, dicenda est generalis regula, ^{d)} quod ad exponendam sacram scripturam oportet totum considerare et non unam partem dumtaxat. Per hoc enim heretici a veritate fidei discesserunt, quia passum unum scripture, qui pro se facere videbatur, ad suam heresim traxerunt, reliquos autem passus neglexerunt, per quos in expositione scripture male intellecte dirigi debuerunt. Sicut Manicheus, ponens mundum sensibilem esse a demone veluti principio et non a deo, allegabat illam scripturam Joh. evangeliste: ¹⁾ *Iam princeps huius mundi eicietur foras* / et illam apostoli: ²⁾ *Deus huius seculi excecavit mentes eorum*, relinquebat autem principium Gen., per quod in expositione primi dicti poterat dirigi: *In principio creavit deus celum et terram.*

Similiter dico ad propositum, quod ista auctoritas et consimilis allegata ex XVIII. cap. Num. temperari debent et exponi per alias auctoritates, quarum unam allegavi superius ex ult. cap. Lev., aliam

¹⁾ Io 12, 31. — ²⁾ II. Cor. 4, 4.

a) B ipsi. — b) Ita D, reliqui: vivaclus. — c) C D E tenuerunt. — d) A B vera.

ex XVIII. Num. et aliam IV. Act. Ap., ut intelligantur possessiones alie a decimis non simpliciter prohibite, sed in distributione terre per Josue, ita quod levite non debebant inter fratres suos habere partem terre promissionis distinctum a partibus aliarum tribuum, eo quod debebant morari inter fratres suos, inter quos et deum mediabant et pro quibus sacrificia, oraciones et alia deo offerebant. Non tamen prohibetur, quin si filii Israel ex devocione aliquas possessiones deo offerrent, illas levite possent possidere. Alioquin esset in scriptura contrarietas, quod nephas est credere. Et cum dicitur in auctoritate XVIII. cap. Num.: *Nichil aliud possidebunt decimarum oblacione contenti*, exponendum est ut prius; alias esset contrarium illi, quod in eodem cap. premittitur: *Omne, quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit*, item esset contrarium eciam illi: *Omnis oblacio et sacrificium et quidquid pro peccato atque delicto redditur michi et cedit in sancta sanctorum, tuum erit*. Manifestum enim est, quod aliud est possidere aliquid redditum ^{a)} ex voto aut sponte oblatum domino et possidere decimas. Considerando totum capitulum clare ^{b)} patet, quod textus in nullo contrarius est, sed seipsum exponit.

Ad auctoritatem salvatoris Mat. X: *Nolite, inquit, possidere aurum et argentum etc.* dicendum secundum quod respondet s. Thomas, quod illa verba domini tripliciter possunt intelligi: ^{c)} uno modo mystice, ut non possideamus aurum et argentum i. e. ut predicatores non inquantur principaliter sapientie et eloquencie temporali; ^{d)} et sic exponit Jeronimus. Secundo modo potest exponi, sicut exposuit Augustinus in libro de concordia ewangelistarum, ^{e)} ut intelligatur dominum hec non / precipiendo sed magis permittendo dixisse: permisit enim eis, ut absque auro et argento et aliis sumptibus ad predicandum irent, accepturi sumptus vite ab hiis, quibus predicabant, unde subditur: *dignus est enim operarius cibo suo*, ita tamen, quod si quis propriis sumptibus uteretur in predicacione ewangelii, hoc ad supererogacionem pertineret, sicut Paulus de se dicit I. Cor. IX. Tercio modo secundum quod Crisostomus exponit, ut intelligatur illa dominum precepisse discipulis ^{f)} quantum ad missionem illam, qua mittebantur ad predicandum ^{g)} Judeis, ut per hoc exhortarentur ad confitendum de virtute ipsius, qui eis absque sumptibus provideret. Ex quo tamen non obligantur ipsi vel successores ipsorum, ut absque sumptibus propriis ewangelium predicarent. Nam et de Paulo legitur II. Cor. XI, quod ab aliis ecclesiis stipendia accipiebat ad predicandum Corinthiis, et sic patet, quod aliquid possidebat ab aliis sibi missum.

Ad aliam auctoritatem de XIX. Mat.: *Si vis perfectus esse, vade etc.* hic respondeo, quod hoc non est dictum pro tanto, quod in paupertate voluntaria secundum actum renuncciationis possessionum

^{a)} A B quod aliquid est possidere aut quod redditum . . . — ^{b)} C D E totum casum cleri . . . — ^{c)} E exponi. — ^{d)} E pro lucro temporali. — ^{e)} Migne P L 34 col 1113. — ^{f)} C D E apostolis. — ^{g)} A B om.

consistat essentialiter perfeccio ^{a)} status, quia extra hanc renuncciationem aliquis potest esse perfectus. Patet de Abraham, sicut supra allegatum est. Sed hoc dictum est, quia talis renuncciacio actualis est instrumentum perfeccionis, que essentialiter in caritate consistit. Non igitur requiritur, quod prelati ecclesie secundum actum renunccient cunctis possessionibus, sed secundum preparacionem animi prompti sint et arbitrentur istas divicias tamquam stercora, ut Christum lucrifaciant, sicut dicit apostolus. ¹⁾ Et hoc innuit Augustinus de questionibus ewang.: ²⁾ *Ostendit, inquit, dominus filios sapientie intelligere non in abstinento nec in manducando esse iusticiam, sed in equanimitate tolerandi inopiam*. Vnde et apostolus dicit: ³⁾ *Scio et habundare et penuriam pati*.

Sed ^{b)} huic solucioni occurrunt adversarii dicentes, hoc nichil esse, quia ad eandem paupertatem secundum preparacionem animi tenentur reges et principes seculares; tenentur enim pro salute reipublice non modo terrenam substanciam, sed eciam vitam exponere, sicut philosophi gentium scripserunt et superius dictum est. Modo ad plus tenentur prelati in hac parte, qui profitentur / statum perfeccionis, quam terreni principes. Illud autem plus non potest esse nisi in actuali renuncciacione omnium possessionum, ergo ad eam tenentur Contra solucionem adhuc inducunt auctoritatem Christi Mat. XX: ⁴⁾ *Reges gentium etc. vos autem non sic h. e. non debetis modo regio presse, sed modo Christi per humilitatem abdicacionis ^{e)} omnium possessionum. ^{d)}*

Ad hoc respondeo: Concedo, quod spirituales et prelati plus tenentur ^{e)} Christum imitari quam terreni principes, secundum quod sunt in gradu alicui religionis Christi, sed illud plus non est actualis renuncciacio omnium possessionum, sed maior et specialior gradus preparacionis animi ad omnia terrena propter salutem gregis contempnenda et maior humilitas in conversacione exemplari et similibus. De auctoritate vero Mat. XX dicetur postea, cum ad locum suum venero. ^{f)}

Ad auctoritatem Jeronimi: *Clerici dicuntur, quia sunt de sorte domini etc.* respondeo cum s. Thoma, quod omnis pars est minor suo toto. Ille igitur ^{g)} cum deo alias partes habet, cuius studium minuitur circa ea, que sunt dei, dum intendit hiis, que sunt mundi. Sic autem non debent nec episcopi nec clerici proprium possidere, ut dum curant propria, defectum faciant ^{h)} in hiis, que pertinent ad cultum divinum.

Ad aliud argumentum, cum dicitur: *Sacerdotes debent esse nudi et expediti ad apprehendendum etc.*, verum est secundum affectum, ut

¹⁾ Phil. 3. 8. — ²⁾ Migne P. L. 35 col. 1337 — ³⁾ Phil. 4, 12. — ⁴⁾ v. 25. s.

^{a)} A B perfectus, C perfeccionis. — ^{b)} C E et. — ^{c)} In A corr. et per abdicacionem. — ^{d)} C E facultatum, D facultatum et possessionum. — ^{e)} C D E quod spiritualius et plus tenentur prelati . . . — ^{f)} C D E: De . . . postquam ad locum suum venero, dicam. — ^{g)} B iste eciam. — ^{h)} C E paciantur.

dictum est. Et cum dicitur, quod possessiones pregravant et impediunt, superius responsum est, quod hoc non est ratione sui, sed ratione tenacis adhesionis affectus avari ad divitias. Vnde sicut divicie ingerunt sollicitudinem sue administrationis, ita et paupertas ingerit sollicitudinem victus querendi, ideo sicut divicie pregravant, ita et paupertas. Sed nec paupertas nec divicie gravant animum perfecte dispositum, ideo tam in paupertate quam in opulencia potest esse perfectio.

55a Et cum inducitur auctoritas Christi, qua comparatur dives camelo, dicendum, quod intelligitur de divite ^{a)} secundum inordinatam affectionem ad divitias. Et si dicitur, quod talis non potest intrare in regnum celorum: modo dicitur in textu, quod *difficile dives intrabit* etc, difficultas autem est sub possibilitate. Dicendum uno modo, quod ibi non capitur difficile pro impossibili, / sicut aliqui expositores dicunt. Aliter potest dici, quod non omnis inordinata affectio ad divitias est mortalis, sed aliqua venialis; de veniali intelligitur illud *difficile intrabit*, quia talis dives ex inordinata veniali affectio facile ruit in mortalem et difficulter se tenet in gracia. De mortali potest accipi comparatio *facilius est camelum intrare per foramen acus* etc.

Et cum dicitur, quod ex simili radice profert apostolus virginitatem coniugio, dico quod non est simile, quia coniugium adducit sollicitudinem ^{b)} pro regimine filiorum et domus et connectit tenaci amore coniuges, unde et consequenter ^{c)} minuitur amor respectu dei. Sed divicie possunt sine sollicitudine possideri et sine cura in hoc, quod pater familias non vacabit earum administrationi, sed procuratori alicui committet officium et operi spirituali vacabit, quemadmodum dicit Aristoteles I. Politicorum. Vnde voluptas magis ad se trahit quam divicie, de qua dicit Aristoteles VII. Ethicorum, quod furata est intellectum spisse sapientis. ^{d)} Propterea non est eadem ratio de coniugiis et possessionibus, quia magis deprimit animos ^{e)} coniugium quam opes; pro tanto ex ordinatione ecclesie sacerdotibus interdicte sunt nuptie, sed non possessiones.

Ad aliud, cum dicitur, quod Christus dicit in ewangelio: *Nisi quis renunciaverit omnibus, que possidet* etc., dico, quod ista auctoritas est sane intelligenda et non secundum opinionem Juliani Apostate, qui possessiones christianis auferens, suum furtum ^{f)} hoc dicto Christi colorabat. Secundum hoc enim obligarentur omnes christiani, non solum clerici, abrenunciare possessionibus, quia nomen discipuli in ewangelio non solum pro apostolis et 70 discipulis accipitur, sed etiam pro aliis. Nam de Joseph de Arimathia dicitur Mat. XXVII, quod erat discipulus Jesu. Debet ergo intelligi sicut cetera secundum preparationem animi.

Cum autem adiungitur ulterius, quod hoc idem docuit nos Christus facto in seipso, quem secuti sunt apostoli, dico quod

^{a)} C D E intelligit divitem... ^{b)} A B similitudinem. — ^{c)} C E communiter. — ^{d)} B sapientibus, C D E spes sapientis. — ^{e)} B animum, C E animas. — ^{f)} B fratrem, A habuit idem et corr.: factum.

55b in hoc non obligantur, veluti cadat sub precepto, sacerdotes ad imitandum Christum et apostolos. Nam eodem modo obligarentur ad renunciandum omnibus / decimis, nam Christus et apostoli non leguntur decimas habuisse — hoc tamen nemo sani sensus diceret. Et ideo in hoc imitari Christum et apostolos non cadit sub precepto, sed tantum sub consilio.

Et cum contra hoc arguunt adversarii, quia Christus nichil consuluit clericis, ad quod non teneantur, hoc est negandum. Multa enim Christus dedit consilia, que non obligant, sed supererogacionis est ea implere. Vnde virginitatem servando eam facto consuluit similiter ^{a)} et verbo, cum dixit esse eunuchos, qui se castraverunt propter regnum celorum ¹⁾ etc., et tamen non obligantur omnes ad custodiendam virginitatem nec sacerdotes obligabantur continere ante generale concilium, quo sunt ²⁾ eis interdicte nuptie. Vnde Paulus apostolus, qui I. Cor. VII vult omnes homines esse sicut semetipsum in custodia virginitatis et habentem uxorem divisum esse dicit, carentem uxore sollicitum esse que dei sunt et cogitare quomodo placeat deo, quamvis virginitatem coniugio preferat, tamen coniugium sine peccato affirmat: ³⁾ *Si quis, inquit, turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, et ita oportet fieri, quod vult faciat, non peccat, si nubat* et paulo post: *Igitur qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, et qui non iungit, melius facit.* ⁴⁾ Ex hoc clare patet, quod bene faciendo possunt obmitti consilia; patet, quia virginitas est in consilio et tamen bene faciendo per ingressum coniugii omittitur, quia sicut dicit apostolus paulo ante in eodem cap., *melius est nubere quam uri.* ⁵⁾ Et per hoc patet, quod non est necesse clericos teneri ad omnia Christi consilia, nec oportet, quod ea non implendo peccent etiam venialiter, quamvis implendo melius facerent.

56a Cum autem dicitur ulterius: Si quis amicus alteri daret salubre consilium, quod si ille non faceret, dator consilii se aliquo modo spernere consilia, aliud non implere. Quicumque spernit, peccat non solum venialiter, sed etiam mortaliter, quia in hoc contempnit deum, datorem ^{d)} consiliorum. Sed non quicumque non implet, peccat, sicut patet ex dictis de virginitate. Vnde si in / consilio amici viderem michi magnam difficultatem propositam atque periculum et amici consulentis voluntatem esse cernerem ^{e)} non me obligare ad illud faciendum, promittere tamen premium magnum facienti, scirem etiam ipsum non debere offendi ex non implecione, possem sine lesione amicie et sine contemptu quocumque a consilio suo desistere. Ideo non oportet, si non impleam, quod contempnam. Quamvis enim

¹⁾ Mat. 19, 12. — ²⁾ v. 36. 38. — ³⁾ v. 9.

^{a)} B simul, C E simili. — ^{b)} C E fuerunt. — ^{c)} C E fieri affirmat. — ^{d)} C E creatorem, D conditorem. — ^{e)} C E temerariam.

melior sit virginitas coniugio simpliciter, in casu tamen melius est alicui coniugium, quia sicut dicit apostolus *melius est nubere quam uri*. Quomodo vinum simpliciter melius est quam tysana et tysana melior est febricitanti.

Et ex hoc potest induci argumentum contra adversarios, qui volunt clericos abrenunciare possessionibus omnibus, quia cum multi sint clerici valde, adeo ut propter multitudinem necesse sit multos esse imperfectos, periculosum videtur eos obligare ad renunciandum omnibus, quia propter imperfectionem multorum status perfectus esset eis magne ruine occasio, sicut illis, qui uruntur, votum virginitatis occasionaliter officeret. ^{a)}

Ad aliud, cum arguitur de illa voce audita tempore Constantini: *Hodie venenum etc.*, dicitur primo, quod scriptura illa est apocrypha. ^{b)} Non enim est verisimile sanctum Silvestrum possessiones recepisse, si eas venenatas miraculosa voce profiteri ^{c)} cognovisset. Item dici potest, quod venenum spargebatur ^{d)} per accidens propter abusus futuros, sed etiamsi paupertas mansisset, forte fuisset ita venenata sicut sunt ^{e)} possessiones. Item potuit esse alia causa prolacionis huius vocis, que nobis est incognita. ^{f)} Vnde si posteriores sancti doctores et episcopi reputassent hanc vocem in hunc sensum contra possessiones esse prolatam, utique a possessionibus abstinuissent, quod non fecerunt.

Et cum dicitur: omnia mala ecclesie ortum habent ex hiis divitiis, hoc bene potest esse occasionaliter, et si fuisset paupertas, forte fuissent maiora, cum ^{g)} ista mala oriuntur per se ex malicia et abusu sacerdotum.

56b

Consimiliter potest responderi ad / argumenta facta contra dominium sacerdotum. Cum dicitur primo, quod Christus nunquam tale dominium exercuit, dicitur ^{h)} primo, sicut iam dictum est, quod sacerdotes non obligantur omnino facere sicut Christus fecit. Vnde Christus non legitur celebrasse missam ea forma, qua nunc celebramus, quamvis legatur instituisse sacramentum eucharistie et confecisse, et tamen sacerdotes non debent abstinere a celebratione missarum. Similiter Christus non recepit decimas, et tamen sacerdotes accipiunt sine peccato. Similiter Christus non legitur audisse confessiones, et tamen sacerdotes audiunt. Maxime vero in exercendo iurisdictionem Christus ante passionem nondum dixerat: *Data est michi omnis potestas in celo et in terra*, ¹⁾ sed post resurrectionem hoc dixit et illam potestatem in ordine ²⁾ ad militantem ecclesiam in terra reliquit

¹⁾ Mat. 28, 18.

^{a)} E: sicut ille, qui ureretur, si votum virginitatis faceret, maiorem culpam incontinentis sibi occasionaliter efficeret — ^{b)} In C E dicitur — apocrypha deest. — ^{c)} A C E proferi. — ^{d)} B propagabatur. — ^{e)} C E fuerunt. — ^{f)} C habet in marg: Videtur, quod dyabolus hoc dixit mendaciter, quia secundum ewangelium est mendax et pater eius. Voluit, ut credi potest, necessariam divinitus ecclesie ordinationem de possessionibus impedire. — ^{g)} A B unde cum, C E verumtamen. — ^{h)} A dico. — ⁱ⁾ B ordinatione.

et dedit Petro, dixit ei Joh. ult.: *Pasce oves meas*. ¹⁾ Quamvis videtur iurisdictionem exercuisse in muliere adultera, cum dixit: *Neque ego te condempno, vade et amplius noli peccare*. ²⁾ Sanavit enim eam spiritualiter et corporaliter neque postea forte fuisset ^{a)} ius aliis eam condempnare. Vnde quamvis non solvat simpliciter dicendo *neque ego te condempno*, quia negativa nichil ponit, tamen videtur absolvere dicendo *vade*, quasi diceret *esto libera* et hortatur ad melius dicens *amplius noli peccare*, quasi diceret *munda es, noli amplius te coinquinare*. Usus est etiam iurisdictione, cum eiecit vendentes et ementes de templo.

Cum vero adducitur illud de divisione hereditatis, dicendum quod loquitur secundum opinionem petentis, qui forte submissus erat a phariseis ad capiendum Jesum; quia si se de hac divisione intromississet, videbatur eis, quod possent illum accusare de usurpacione domini et per hoc possent faciliter inflammari superiores contra eum ad eum interficiendum — ideo cauta ^{b)} responsione eorum calumpniam elisit. Item per hoc voluit significare, quod venerat non ad fovendam avariciam, cuius impulsu ille petebat hereditatis / porcionem, ^{c)} sed magis ad destruendam. Item per hoc voluit dare exemplum sacerdotibus, ne predicacionis sermonem interrumpent propter terminacionem licium terrenarum: erat enim in actu predicandi, quando sibi hoc unus de turba dixit. Item cum sacerdos Nove Legis vocatus sit ad exercitium vite spiritualis, esto quod liceat habere iurisdictionem temporalem, non tamen licet forte regulariter exercere, ne imminuat eius intentio ad spiritualia, et hoc ostendit Christus exemplo, cum noluit de particione ^{d)} hereditatis inter fratres se intromittere. Item nec adhuc erat ei dictum illud Mat. ult. iam allegatum *Data est michi omnis potestas etc.*

Ad aliud, quando adiungitur, quod omne temporale dominium sacerdotibus interdixit, cum dixit: *Scitis, quia principes gentium etc.*, dico, quod hic non prohibetur omnino temporale dominium, sed eius abusus, sicut patet ex glosa super locum illum. Cum enim dicitur *dominantur*, ibi dicit glosa: potius intendunt eis dominari quam eorum regimini utiliter deservire. Vel secundum *Originem dominantur* i. e. eis violenter dominari nituntur et *potestatem habent super eos* i. e. sibi subiciunt eos potenter et opprimunt. Et Luc. XXII dicitur, quod *benefici vocantur*, in quo secundum Cirillum et Basilium designatur, quod adulatoris laudibus et favoribus presidentes extolluntur a subditis. Cum ergo ^{e)} dicitur *vos autem non sic*, non prohibentur, quin possent preesse subditis more bonorum regum, sed docentur, quod non debent eos opprimere more ^{f)} tyrannorum. Item si bene textus advertatur, Christus vult reprimere in discipulis appetitum primatus et non aliud vult, nisi ne ambient primatum. Ambicio autem in omnibus mala est

¹⁾ Io. 21, 17. — ²⁾ Io. 8, 11.

^{a)} C E ne forte postea fuisset. — ^{b)} C E ymmo tanta. — ^{c)} C E possessionem. — ^{d)} D participacione, E peticione. — ^{e)} C D E autem dicit. — ^{f)} B modo.

57a

et culpabilis. Vnde supra hunc passum dicit Crisostomus, quod gentile est primatum cupere. Sed ex hoc, quod non licet ambire primatum, non sequitur, quin liceat bene presidere subditis. Per humilitatem potius et virtutem Christus vult discipulos primatus assequi quam per ambitionem ad illos tendere.

57b Cum autem dicitur, quod presens ecclesia sacerdotum est ecclesia sathane et fuit a CCCCVIII annis, quibus / solutus fuit sathanas, qui per primum millenarium a tempore Christi erat ligatus iuxta literam XX cap. Apok., ideo ^{a)} istius ecclesie auctoritas est contempnenda, ut dicunt quidam de adversariis: ista est mirabilis fantasia de millenario! Legatur Haymo, legantur antiqui expositores, hic sensus non inuenitur! Et miror, quomodo ille, qui nec fuit propheta nec filius prophete, audeat tanta certitudine prophetiam occultam ad suam fantasiam trahere. Secundum enim Haymonem millenarius numerus ibi capitur pro tempore perfecto propter perfeccionem millenarii. Et si concedatur hec expositio novella, tamen ille, qui eam peperit, post millenarium natus est soluto iam sathana.

Ex dictis autem satis apparet, quod ecclesia presens non est ecclesia sathane propter habere possessiones, sed multi clerici sunt de ecclesia sathane propter suos malos mores, tam inter illos, qui habent possessiones, quam inter illos, qui non habent; multi habentium eas male dispensant, multi non habentium avaro ardore ^{b)} ad habendum aspirant. Sed non sufficienter status impugnatur, eo quod sit in illo nonnullorum abusus, ut patet ex ante dictis.

Et ista ad presens dicta sint de presenti questione, in qua precise curavi ea scribere, que ex tempore respondi illis, qui michi probare conati sunt non licere clericis possessiones habere. Ubi si in alias materias excurri, ipsi causa fuerunt, dum contra auctoritatem ecclesie, quam stabilire conabar, alia in que excurri obiecerunt.

Da, domine Jesu, michi scire plenissimam veritatem et scitam toto studio affectuque complecti. Absit, ut temerarie velim aliquid dubium affirmare, sed in hac parte tucior sum, quod cum ecclesia et cum sanctis tuis milito, quibus post hanc vitam me, benignissime salvator, aggregare queso dignare. Amen. ^{c)}

^{a)} A et. — ^{b)} corde. — ^{c)} D habet subscriptum: Explicet determinacio doctoris venerabilis parisiensis magistri Johannis Stokes Anglici habita Prage contra multos Wickleffistas.

